

minatur? A finos enim dicit qui secum in luto voluntari renuant & paullo altius assurgant animo.

Hæcque hastenus de Regno rationis hodierno, deque Fortibus in hoc regno Spiritibus non pro rei

quidem dignitate sed pro ingenii hujus angustiis & pro tempore dicta sunt: Quæ si profecerint quidam ad Reginæ veritatis honorem, illam ipsam, cui soli litare in animo fuit, pronus adoro: sine fefellit me spes, aurem docentibus lubens dabo.

J. O. G. D.



PRÆFATIO.

Duo sunt, quæ sanæ rationis profectui ex æquo adversantur, alterum negligentia, alterum præsumptio. Illa non audet discere quibus esset opus, metu laboris: hæc non vult discere alia, quia præsentia qualiacunque sint pro magnis habet & sufficientibus, & sese nimium amat.

Atque ut sunt quemadmodum bona seges, ita etiam lolia inter se connexa, alterum alteri vitio ortum præbet & occasionem mutuam. Negligentes solent esse præsumptuosí, quia sperant paucis obtinere id atque stertendo, quod labore constat. Et præsumptuosí solent esse negligentes, quia amor proprius suadet, nihil deesse quod labore sit adipiscendum.

Hodierna ætas præcipue est ferax præsumptionis. Omnia se scire velut de cœlo illapsa videntur multi sibi videri, qui aliquid dicere aut cogitare possunt, quod ipsi *rationis* nomine appellant saepe falso. Quisquis in rebus aliquibus scit suum Ergo proferre, aut suum *Quia*, ille se ratione pollere plurimum autumat, & omnia ex suo proprio fundo sperat eruere: satis enim Ergo & satis *Quia* intra se continet. Ignoscat mihi auris Latina.

Sed sunt inter homines nonnulli, qui non contenti sese præsumptuosos esse, etiam aliis ad præsumptionem sunt duces. Hos ego dico, qui rationi præsenti applaudunt, cetera omnia, quamquam sint rationis adminicula & fax, abesse jubent, imo fœde etiam derident.

Plures

Plures id genus alios alii meis oppellis depexui. Nunc illi
mihi sunt examinandi, qui saepe gloriantur *bodierium regnum rationis* in auge versari, nunquam rationem ipsam majores quam
nunc accepisse vires. Neque hōd contenti aetatem abhinc elapsam
velut anilem, servilem & prope ratione destitutam exsibilant, cu-
jus lumini & auctoritati tribuendum sit à novis nihil, sed omnia
ab illis alia ac diversa esse nunc & agenda & cogitanda.

Qua re ipsos falli non raro, & rationis egregia adjumenta ab
antiquis repetenda ipsos turpiter abjecere; aut veterum adminicu-
lis usos quin fateantur per quos profecerint, misere ingratos esse;
denique præsumptione hodiernæ excellentiæ rationi ipsos nocere
ac rei publicæ, ex hac nostra opella fortasse, caute lector, ob-
servabis si nondum ipse ac me quidem accuratius observasti.

Accipe & si vacat (non est mora longa) cor-
datus lege, atque Vale.





1000

